

ΠΑΥΛΟΣ ΠΡΕΣΒΥΤΗΣ

five

SENEX PAULUS

Ætate, Prudentia Affectuq; conspicuus

in

Exemplo maximè venerabili

Summè Reverendi, Magnifici, Amplissimi atq; Excellentissimi

DOMINI

PAULI HILIPPI ROEBERI

SS. Theologiæ celeberrimi Doctoris, Pastoris
& Superattendentis Freibergensium vicina-
rumq;ve Ecclesiarum longè gravissimi

sub

Felici Onomasteriorum recursu

die XXV. Jan. A. C. R. M. DC. XCVI.

Conversione Pauli insignito

in

Piæ sinceritatis & sinceræ pietatis monumentum

Summè Rev. Magnific. Ejus solenniter

consecratus

à


Sequenti conjunctissimo Symmystrarum cœtu

M. Christoph. Kranz / Archidiac.
M. Tobia Müller / Eccles. Prim. ad D.
Petri,
M. Michaël Mauckisch / Eccles Prim.
ad Div. Nic. Minist. Sen.
Georgio Wolff. Past. ad D. Jac.
M. Jacob Stahlkopff / Eccles. Cathed.

Sebastian Gottfried Benewitz /
Conc. Matut. ad D. Petri.
Adam Böhmer / Diac. ad Div. Jac.
M. Kaymund Friedrich Rudolph
Janicke / Conc. Vesp. ad D. Petri.
M. Otto Theodor. Benewitz / Conc.
ad D. Joh. & Barthol.

FREIBERGÆ, Typis BECKERIANIS,





Ascere blanda dies Pario inscribenda lapillo
Atque Palæstinis Libani dignissima cedris,
Nascere, & argentes nimbos pluviasq; perosa,
Sparge jubar radiante coma, priscumq; nitorem
Restitue auspiciis non deterioribus Orbi.
Tuque metallifero, mater, ditissima saxo
Passibus huc æquis propera, *Columenq; Sionis*
Suspiciens prægrande Tui, venerare Tonantem

Votaque consocia votis atque ignibus ignes,
Exemplo calefacta pio. Sic fœdera poscunt.

At Tu, *Sancte Senex*, quem dulci nomine *Patris*
Cernua compellat pietas, cui militat Æther
Raraque Nestoreis vitalis conditor auræ
Munera largitur senii, ne despice chartas,
Queis infucati monumenta perennia cordis
Impressit communis amor, queis ardua PAULI
Nomina & æterni Lucis mandantur honores.

Incipe PAULORUM, Clio, pertexere laudes:
Non mihi jam PAULUS Macedo, non fidus Acharis
Lutheri, EBERUS; vel quos Babylonia peilex
Quatuor ostentat PAULOS, aut doctior ætas
Rudi secrevit populo famæque sacravit,
Non ea materies plectri, non meta laborum est.
Solus amor PAULUS, cui ter veneranda senectus
Jure graves titulos SENIORIS * sumere svasit. * Philem, v. 9.
Diversos diversa quidem sententia torquet,
Grandisonus Tarsi doctor quot lustra, quot annos
Degerit; at vox una tamen fuit omnibus usque,
Sexagena ipsum rutili spatia annua Phœbi
Ad minimum explevisse olim, dum vita maneret,
Quippe nefas, illum in seros non ducere soles
Tempora, qui gentes, quæ circuit Hesper & Eos,
Palantes vicit sine ferro & inermibus armis.

Incipe PAULORUM, Clio, pertexere laudes,
Tuque adeo, *Venerande Senex*, cui nomina PAULI
Consultò imposuit secreta Pronœa Tonantis,
NOMINE gaude isthoc celebri, lætare, beare,
Et fati occultos mecum rimare recessus.
Aspice quàm pleno cœli indulgentia cornu
In canos effusa fluat, niveisque coronam
Floribus intexat, qualem nec Persa superbus
Nec mitratus Arabs superet Gangetide gazâ,
Nec Latii servustriplici præfulgidus auro.
Scilicet Altitonans & *Nomen & Omen* amantes

Conso-

Confociat, postqve exantlata fideliter acta **
 christiadum Officiis, sacri, qveis personat ædes
 Enthea, qveis humerilongo jam tempore sudant,
 Cœlica largifluo indulget cum tœnore dona. **
 Premia concordant operis. Nix alba comarum.
 Mores effingit niveos in fronte, fidemqve
 Canam canorum reverentia concolor æquat.

Incipe PAULORUM, Clio, pertexere laudes.
 En ! nova se veteris PAULI præsentat imago.
 Namqve oculos quacunqve fero, Prudentia passim
 Omnibus illucet dictis factisqve senilis,
 Quam trito obtinuit rerum usu & mille periclis,
 Jam mare jam terras spatioso limite mensus.
 Græcia, ne longos memora Phœacis Ulyssæi
 Circuitus, multorum ubi mores vidit & urbes:
 Hic Cilicas gentes Syriamqve & climata terræ
 Sancta Palæstinæ, & Phrygios Italosqve penates
 Grajugenûmqve lares firmos & in æqvore nantes
 Cycladas Argolico cunctas peragravit, ubiqve
 Munera salvifici mellis cœlestia spargens.
 Ægris hinc totidem visis, medicamine sacro
 Omnibus auxilium tulit, atqve Machaonis instar
 Providi in occultas morborum inquirere causas
 Cum primis studuit. Mox pharmaca mentibus apta
 Miscuit, ac duris dura, acribus acria, molles
 Mollibus applicuit dextrâ moderante medelas.

Incipe PAULORUM, Clio, pertexere laudes.
 Te quoqve canities, Senior pie, magne Dei Vir,
 Te mentis color ille ornat. Prudentia rectrix
 Jam teneris pridem Tecum inde adolevit ab annis,
 Et sensim occulto viguit velut arbor in ævo.
 Non Paradisiacis eqvidem perdoctus Athenis,
 Nec jubare æthereo tactus, nec vasta locorum
 Et marium emensus spatia anfractusqve fuisti.
 At tua mens vigili semper distracta labore,
 Artes, templa, Scholas & mille volumina librûm
 Pervasit, Sophicasqve sacros aptavit ad usus
 Gazas, & mores finxit meliore metallo.
 Te placidum sensere humiles, tetricumqve rebelles,
 Gloria demissum stupuit, patientia firmum.
 Tutari sermone piôs, animasqve labantes
 Erigere alloquio, facili ratione ruinis
 Consulere, emendare malos, firmare seqvaces;
 Talia TE dudum docuit Prudentia solers,
 Munere quo nullum majus Tibi contulit æther.

Incipe PAULORUM, Clio, pertexere laudes.
 Macte Senex animi, Paule, ô quam vasta tuarum
 Pondera me lassant laudum ! Sed nescia fuci
 Integritas Candorq; vetus, perrara volucris,
 Me revocat timidumqve subit fiducia phœbum,
 Quam teneris Galatas rigidos complexibus arctas,
 Quam patrio Isacidum Marpesia pectora prenfas

Affe-

M
M
M
M



Affectu atque intus curarum exæstuat unda.
 Nunc uterum gestas; nunc prompti munera servi,
 Nunc fidæ nutricis obis. Jam lactea præbes
 Ubera, jam pueris præmansa alimenta ministras,
 Jam prætextatis Cereales mentibus escas.
 Nunc fratris germani instar, nunc more modoque
 Grandævi genitoris habes. Expertus amores
 Timotheus Titusque fuit; Cretensis hic, alter
 Christipotens Ephesi Doctor, quorum intima tanto
 Pectora strinxisti nexu, ut spumantia Nili
 Flumina non ausint has contra insurgere flammæ.

Incipe PAULORUM, Clio, pertexere laudes.
 Gaude orbis candoris amans, gaudete prioris
 Ævi relliquiæ, gaude *sacer Ordo Fribergæ,*
 Atque ovium dilecta cohors. En corda *verendi*
Præsulis! En PAULI descriptum è pectore pectus!
 Non animo dispar facies, non dissona fronti
 Os loquitur, sed prisca fides & gloria gentis
 Teutonicæ, integritas, candor, constantia, passim
 Promicat. Æquali brachio complectitur omnes
 Lanigerosque greges vigilesque ad ovilia stantes,
 Qvos fratrum pro more colit. Sed nominis illos
 Suppudet ingenui, & *natorum* svave sonantes
 Præoptat titulos, quò sic properantior adfit
 Officiosa *Patri* pietas, ac ebria Votis
 Jubila confundat, quoties redit æthere PAULUS.
 Fallor? an unanimi sic ore silentia rumpunt?

O! nimium dilecte Pater, felicibus euge!
Auspiciis ordire diem, quem magnus löva
Latificum vult esse diem, ac iterumq; iterumq;
Latificum velit esse Tibi, Laribusq; verendis.
Diffugiant nubes atra & quoscunq; sinistro
Alite nox genuit foetus; lacrymosa senectus,
Membraq; depopulans morbus, Livorq; secunda
Sorte ager, scissosq; horrens velamine luctus.
At potius Tibi mella fluant, TE bajulet Æther
Ipsè humeris subeat DEUS & langventia portet
Membra potens, saturumq; ævi tandem inferat astris!
Donec erunt decori senium, prudentia, candor,
Semper bonos nomenq; Tuum, ROEBERE, vigebit.
Nos TE immortalis recolemus pectore, nos TE
Exactis vicibus cursu properante sequemur.

Desine PAULORUM, Clio, pertexere laudes.

** Respicitur hîc ad Methodum currentis anni,
 quâ summè Rev. Dn. Ephorus tam exepi-
 stola in Exordio, quàm ex Evangelio in
 tractatione illustrat hominum officia
 Deiq; beneficia.



ΠΑΥΛΟΣ ΠΡΕΣΒΥΤΗΣ

five

SENEX PAULUS

Ætate, Prudentia Affectuq; conspicuus

in

Exemplo maximè venerabili

Summè Reverendi, Magnif

timi

DO

PAULI

PPI

ROE

SS. Theologiæ celeb

istoris

& Superattendentis

la-

rumq;ve Ecclesi

Felici Onom

die XXV. Jan.

Conversione

Piæ sinceritatis & sinc

Summè Rev. Ma

cor

Sequenti conjunct

M. Christoph. Frank / Archidiac.

M. Tobia Müller / Eccles. Prim. ad

Petri,

M. Michaël Mauchisch / Eccles. Pri

ad Div. Nic. Minist. Sen.

Georgio Wolff. Past. ad D. Jac.

M. Jacob Stahlkopff / Eccles. Cath

genetis /

iv. Jac.

Rudolph

D. Petri,

ß / Conc.

FREIBERGÆ, Ty

